




COMUNALE
BIBLIOTECA
DEGLI ARDENTI
II
A 2
1
VITERBO

VITA, MIRACVLA, & Missa propria sanctæ Rosæ, ordinis fratrum minorum.

Cuius almum corpus conditum est in alma Ciuitate Viterbij.







ROMAE,
Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales.
M. D. LXVIII.

VITA, MIRACVLA, ET MISSA PROPRIA sanctæ Rosæ ordinis fratrum minorum.

Cuius almum corpus conditum est in alma ciuitate Viterbij.



Et primo quomodo beata Rosa fuit orta in alma ciuitate Viterbij.



NTER alias autem sacras Virgines de quibus non est hodie vsquequaque fama diffusa, fuit quædam puella sacra virgo nomine Rosa quæ quasi venusta cœli rorę perfusa in Viterbiensi viridario fuit orta, & bene successit in vita, in virtutibus, & sanctitate dignum nomen. Nam quod leges clamant nomen debet esse consequens rei, in virgine Rosa eminet adimpletum. Nam sicut quidam flos Rosa super vernalib⁹ floribus pulchritudine stat excelsior, sic virgo inter cunctas virgines alta sedet. Coniugatis continentibus altior erigitur saltem virginitatis scandore, cum eis felicior vita sit. Igitur sanctitatum longa mora virgo Rosa cæteras sanctas pręcedit, vt Rosa flos alios præcedit quouis flores. Pascit quidē Rosa flos oculos pulchritudine immensam pascit etiā membra reliqua odoratione extensa, sic Rosa virgo pauit eam videntes sanctitatibus Cunctos pascit. Nunc quoque relictarum virtutū suauitatis odoribus cunctos sanos. Quę tempore sanctissimi domini nostri domini Alexandri Papæ quarti suum diem clausit extremum &c.

Prologus de narratione sanctæ Rosæ.



E qua ad honorem primo illius cœlestis sponsi qui delectatur, & pascitur inter lilia virginalis pudoris septus coreis virginum puellarum, cui ab ipsa pueritia hæc sancta virgo castissimis amplexibus iuncta fuit: consequenter vero ad honorem, & laudem ipsius Virginis Rosæ, ad cuius cōmendationem, & famā aliqua enarrabo quę in quibusdā instrumētis antiquis a fide dignis, & deuotis personis relata inueni, atq; fideliter scripta sunt. supradictæ, quę personæ se a supradicta virgine Rosa audiuisse, & vidisse testatę sunt.

Ideoq; sanctitates describere, & miracula beatæ virginis Rosę omni posse pręsenti volumine nos conamur, ne non perlectę nigræ vetustatis diurno nubilo scientium obtegant mentes, cum hominum memoria labilis feratur, & vana iuxta quod ostendit moralis Seneca. Memoria nihil perdit, nisi id quod non sępe respexit. Ideoq; stilo etiam aggredimur vitam mirã pręfatæ Virginis relaxare nequeat latere posteros, vt his scriptis lectione cognita, diligatur, dilecta appretiatur, & appretiata dirigat In imitationem sui quos cura beatitudinis semper angit. Nam quidem si latuisset ignoraretur, & ignoræ nulla esset immitatio, nec cupido, quia illos quos nescimus nullatenus possimus, immitari teste in his beato Augustino: res incognita nõ diligitur, magis dilecta, magis appretiatur; vt ait Boëtius: Quisnam cupit quod nescit, & iterum moralis Poëta quidam quod latet ignotum est, ignoti, nulla cupido. Fateor, nec quidem posse connumerari cunctas virtutes, Signa, & prodigia quæ dominus noster Iesus Christus beatæ Rosæ meritis operari dignatus est, etiã si membra corporis verterentur in linguas, sed nos de multis his pauca descripsimus. &c.



IN pupillari ætate cepit hæc virgo Rosa cum deuota matre sua ad ecclesiam pergere, prędicationes autem fratrum minorum frequenter audire, & verbum Dei cum intẽtione mentali deuote percipere: quamobrem cępit mundum, & mundanorum dilubria spernere, cupidorum auaritiã deuitare, carnales, illecebras vehementer horrere. Cepit, Insuper dominum Iesum Christum tota mente diligere, & ipsũ affici, & ei totis visceribus adherere; ac per hoc mundo, diabolo, & eorum pompis simpliciter reuocabiliter renunciare cępit. Ieiunijs corpus suum arcere, victum sibi subtrahere, subtractum pauperibus errogare, In procinctu autem tempus facta manu Domini super eam, cępit prolixi languoris grauedine egrotare, in qua quidem valitudine teneretur ab astantibus, iam morti propinqua, subito apertis oculis cępit loqui. Fatebatur autem circunstantibus sibi, bonorum, & malorum decedentium. Intueri statim, etiam nonnullas sorores quę per viginti annos ante ortum suum decesserat de hac vita, & quas nunquam viderat, cognitione clarissima cognoscebat, ac proprijs nominibus conuocabat. Sic igitur iacens in lectulo decubans. Florifera virgo Rosa, apparuit ei gloriosissima mater Dei monilibus immensis ornata, & tanquam sponsa pulcherrima decorata corona, ex vtraque parte sui virginum vallata coreis quam intuens virgo Rosa sibi circunstantibus dixit, vt tam incuriales estis, & qui tante vos tenent more, vt ei minime assurgatis? surgite igitur, eamus obuiã ei; & protinus surrexit de lecto,

& cum præfatis sibi astantibus egressa est domum, & iuit obuiam reginæ matri Dei quam sic affacta est dulciter virgo mater. Filia fragans Rosa, In summo assumẽs virgulto cum alijs floriferis virginibus ab exordio complantata, respice me mentalibus oculis sic ornatam, & ad exemplar mei taliter te ornare nõ differas, & sic ornata & mulierum comittiua honesta associata, ecclesiam præcursoris Ioannis, & pauperculi confessoris Francisci deuotissime uisitabis; demũ ad ecclesiam sanctę Marię in Podio remeabis, & ibi in missarum solemnis tonsuram recipias capillorum. Et depositis mundalibus uestimentis & ornamentis sicque induta cilitio, cordàq; tuis ascellis succinta summi sponsi connubia celebrabis, quibus deuotę, & iam laudibus Dei per actis admisso sic penitentiæ habitu ad domum paternam redibis, ubique in santa conuersatione, habitu, orationi & laudibus diuinis uacabis ex hortationibus. Insuper p oximorum feruenter insistes; insolentes, & a fidei tramite exorbitantes uiriliter & audacter omni timore postposito redargues. Et si propter hoc a parentibus uel domesticis, uel extraneis redargutiones & incommoda p atieris patienter tollerare non desinas. Nam ex his meritum, & post meritum & premium consequeris eternum. Illi autem qui obsecundare uoluerint, gratias a Deo consequentur eternam & dona. Qui autem contradixerint tibi, seu spreuerint & finaliter perseuerauerint in fortunia crcuenta recipient; & his dictis virgo mater dei disparuit, &c.

Capitulum quod sequitur compertum est in quadam antiquissima & autentica scriptura: ubi propter antiquitatem non poterat aliter legi principium nec finis prout scriptum est de verbo ad uerbum.



CVM predicta uirgo grauirer infirmata esset neque aliquod ullus illorum uerbum ulterius diceret. Incepit uidere animas mortuorum & cognoscere illas quas nunquam uiderat qui perierant in mundo antequam ipsa nasceretur per.xxx. uel xx.annos & nominabat bonos & malos. Et hoc fecit die Martis usque ad diem Mercurij. Die uero Mercurij in nocte cum mater beate uirginis & multe alie mulieres custodirent eam & crederẽt quod ipsa emitteret spiritum & mater uellet sibi dare ad comedendum: & beata uirgo dixit matri sue. Mater nolo comedere quia cras erit uigilia beati Ioannis Baptistæ, & cotinuo surrexit cum magno gaudio, & laudat Dominum, & beatam virginem Mariam, & beatam Annam

& omnes sanctos, & sanctas Dei, & rogabat Deũ quod daret potentiam & virtutem Regi Franciæ perdendi illas gentes, & incontinenti se in terram, & in cruce se prostrauit lugens adhærens matri suæ. Mater, & omnes res, ac delitias huius sæculi tibi relinquo, & continuo rogauit matrem dicens. Mater volo quod domina Sita induat mihi tunicã, & cingat mihi cordulã, & tondat mihi capillos sicut clerico Et statim dicta dña Sita venit ad beatam virginem Rosam, & dixit illi. Non sum digna facere hæc quæ dicis. Et ipsa respondit, Beata virgo Maria præcipit mihi quod tu modo, induas mihi tunicam de cilitio quã apud lecti sui habebat. Et ipsa domina Sita respondit et dixit. Filia permitte consanguineos tuos. Et virgo respondit. Beata virgo Maria præcepit mihi quod te instigem, facias quæ tibi dixi. Et mater dixit ipsi. Filia non habeo cordulam. Et ipsa respondit. Non habes vnam cordulã asini? Et mater fecit sicut ei præcepit. Tunc dicta domina Sita fecit quicquid sibi præceperat ipsa virgo. Postea vero virgo rogauit matrem suam, & dixit ei. Mater vade, & suscipe modo omnes mulieres de contrada: & hoc fuit de nocte, & mater dixit. Filia quis remanebit tecum? Et virgo respondit: Spiritus sanctus erit mecum. Et mater abiit & fecit præceptum beatæ virginis. Tunc omnes mulieres surrexerunt, & venerunt ad ipsam virginem. Et virgo dixit mulieribus. Venite omnes extra domum, quia beata virgo Maria venit extra. Et exierunt post ipsam, & ceperunt omnes sedere, & virgo sedebat in medio ipsarum, & incepit dicere mulieribus; Audite quia ego video sponsam Christi speciosissimã quam nemo vestrum videt: quæ sponsa venit ornata cum purpura splendida, cum corona aurea in capite plena gemmis, & lapidibus preciosis, quæ sponsa mihi præcepit quod ego ante vadam ornata ad beatum Ioannem, & postea ad beatum Franciscum, & reuertar ad ecclesiã beatę Mariæ. Quæ omnia altera die fecit sicut sibi præceptum fuerat: & semper portabat Maiestatem Iesu Christi secum quocunq; ambulabat. Verũ cũ multitudo gentiũ assidue veniret ad domum beatę virginis ad videndum hæc quæ faciebat, pater cepit eidem virgini minari, & dicebat ei. Si hæc quæ facis non dimiseris omnes capilli tui capitis detruncabo; & virgo respondit. Non curo, quia pro nobis fuerunt pili barbæ Domino nostro Iesu Christo detruncati, & ego pro ipso hæc sustinere non timeo. Et pater dixit, Si nõ dimiseris ego fortiter te ligabo. Et præfata virgo respondit. Et Dominus noster ligatus fuit ad columnã, & ego pro ipso ligari non timeo. Et dicebat patri suo cum magna deuotione, ac fortiter ploranDo. Pater noli contradicere mihi, si vero mihi non contradixeris,

Dominus

Dominus noster Iesus Christus associabit te cum angelis suis in Paradiso, & si mihi contradixeris non dimittam pro hoc, quia dominus præcepit mihi quod hęc faciã. Et pater incepit plorare, & dicere, Filia fac cum benedictione. Et tunc Beata virgo dixit, Et auo, & presbytero, ac alijs ibidem astantibus suis, & pręfata domina Sita Benedicite me in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Et continue mulieres veniebant ad dictam virginem, & ipsa accessit cum his qui secũ fuerant ad ecclesiã, & dicebat ad illas. Quælibet vestrum, quamprimum vadat ad ecclesiam, & oret pro toto populo Christiano. Præterea cum Dominus noster Iesus Christus in cruce apparuit eidem virgini, & ipsa virgo in mente incepit extrahere capillos sibi, & percutere se in facie, & pannos sibi diuidere, & plorabat cum magna deuotione, & fecit se portare ad ecclesiam, & prostrauit se in crucem, & dicebat ei plorando. Pater, quis te crucifixit? Et dum ita plorabat surrexit quidam dominus G. & traxit ipsam de ecclesia, & duxit ad domum suam. Quæ virgo cum ducta esset ad domum, tribus diebus se marturiuit plorãs; postea vocauit matrem suam, & dixit ei. Mater porta mihi parum herbæ: & mater abijt, & portauit sibi aliquantulum de menta, & beata virgo dixit: pone super pectus meum, & dimitte stare, & ipsa virgo dimisit ipsam aliquantulum. Et postea accepit eam cum manu, & dixit matri. Mater accipe herbam istam & habeas eam nimis caram, quia Dominus noster Iesus Christus benedixit eam super pectus meum, & benedixit mihi vnam ex alterius huius domus, quæ permanebit in monasterio meo. Et postmodum vero cum beata Rosa pergeret per ciuitatem Viterbij, & assidue cum cruce in manibus laudaret nomen domini nostri Iesu Christi, & beatissimam virginem Mariam, quidam qui tunc pro Imperatore Federico præsidebat Ciuitati Viterbij rogatus a quibusdam hæreticis, qui in eadem Ciuitate publice tunc temporis morabantur, quod eam extra ciuitatem expelleret, fecit venire ad se patrem beatę virginis Rosę, & præcepit eidem sub pœna bonorum omnium, & personæ, quod se de dicta ciuitate, vsque ad alium diem sequentem cum tota sua familia separaret. Et cum mater beatæ virginis ad domum reuerteretur, & hoc nunciaret familię suæ sicut præceperat ei potestas, pater dictæ virginis iuit incõtinenti ad potestatem, & rogauit dicens, Domine miserere mei, & familiæ meę, quoniam si isto tempore exiremus de ciuitate, propter niues quæ iacent per montes, & valles omnes moriemur. Et dominus Potestas eidẽ respõdit. Ideo vos expello vt omnes moriamini. Qui reuersus ad domum cum tota sua familia, & rebus suis exiuit ciuitate

tate

tate Viterbii, & semper ningebat, & iuerunt ad quoddam castrum quod Surianum nomine appellatur. Et cum perueniret ad dictum castrum beata virgo Rosa cœpit dicere sicut sibi ab Angelo fuerat nuntiatum, quod antequam sint multi dies amici Dei habebunt magna noua, & hoc dixit in vigilia sancti Nicolai. Quæ cum dixisset iuerunt noua Viterbij, non post multos dies, quod imperator Federicus debitum naturæ exoluerat in Vigilia beati Nicolai. Post hæc vero beata virgo separauit se de præfato castro, & iuit ad quoddam aliud quod Vitorchiano appellatur, cum eius parentibus simul, & cum beata Rosa stetit ibidem per tres dies. Mares autem, & mulieres castri illius audientes famam sanctitatis illius susceperunt eam lętabundo animo & deuoto. Et vt simplex erat simplici confabulatione exhortabatur illos ad depositionem vitiorum, & ad susceptionem bonorum operum, & sanctarum virtutum. At illi cum deuotione audiebant eam, & quotidie recipiebat ab ea monita salutis. Interea in castro prædicto erat quædam mulier nomine Delicata quæ ab ipsa sua natiuitate caruerat virtute visiua, quam quidem parentes ipsius ad virginem Rosam adduxerunt supplicantes obnixe, vt dignaretur pro ea orare, atque suis humilibus precibus Deo caris virtutem visiuam qua a natiuitate carebat ei recuperaret. Virgo autem Rosa precibus eorum commota sese in orationem dedit. Facta autem oratione surrexit, & imponens manum lumen recuperauit optatum. Præterea autem in eodem castro Vitorchiani erat quædã hæretica perfida, quæ contra fidem catholicam quotidie horrenda latrabat, & verbis virginis Rosæ quantũ poterat obsistebat. Sed virgo fidelis Rosa dictam hæreticam veritatis iaculis feriebat, & arguendo, & disputando claris rationibus confutabat. Sed quid plura cũ nec sic acquiescere vellet cogitauit virgo sanctissima Rosa conuertere eam per virtutem fidei sibi infusam, videlicet per ieiunia prolixi temporis spatio tracta vt euidenter hæretica comprehenderetur, & per viam naturæ nullatenus fieri possent; qua propter obtulit se ieiunaturam viginti diebus in quibus nihil sumeret alimenti, & tamen virtute suę fidei absque lęsione aliqua incolumis permaneret. Inquit hęretica. Lupi, & grues longo tempore abstinent, & viuunt, quod natura contulit illis, & tibi posset hoc ipsum conferre. Videns autem Christifidelis quod hæreticã illam, nec per rationabilia verba, nec per exemplaria facta poterat a perfidia reuocare fecit magnum ignem parari; & rogauit sacerdotes vt pulsarẽt campanas ad hoc vt populus conueniret ad tale spectaculum, & confidens de Dei clementia pro cuius fide, & lege certabat, in medium prosiliuit eiusdem

eiusdem, & hinc inde plures se reuoluens, flammarum globis vallata vndiq; tamdiu ibidem moram traxit, quamdiu ignis ille totaliter fuit extinctus. Finaliter inde exiens, & sospes coram hæretica gradiens dicti castri plebe astante absque lęsione vestimentorum, & corporis sic illęsa apparuit, ac si inter flores roridos commorata fuisset, clamans, & dicens. Iam depone infidelitatem tuam, & deuota mente subde te legi diuinę. Ad cuius stupendum miraculũ praua illa hæretica stupefacta, infidelitate deposita ad fidem Christi totaliter se conuertit, sicq; populus cunctus astans ad laudẽ prorupit altissimi, gratias Christo agens qui tantam virtutem virgini Rosæ contulit.

Qualiter virginis beatæ Rosæ corpus ad monasterium in quo stat extitit deportatum.



ET Quoniam famula Dei mundo despicabilis reddebatur pro eo quod semetipsã despexerat, vt Christum lucraretur qui non nisi per humilia reperitur, Cum adhuc in carne viueret, & conuersaretur in domo paterna, venit ad Monasterium in quo nunc iacet, & petijt a monialibus ipsius recipi in consortium earumdem, & inter sacras virgines ipsa virgo soluto carnis debito ad sponsum quem auide sitiebat perueniret .i. Dominũ nostrum iesum Christũ: cui cum sorores respõdissent ꝙ quia numerus dominarum receptarum erat completus, & sic non poterant eam recipere, sacra virgo ait. Scio namq; scio ꝙ ista non est causa, sed quia despicitis in me, quę Deus acceptat in omnibus, vt propter ipsum sapientes mundi sint stulti, & fiant sapientes, nam sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Sed hoc vobis notum sit, quia quam contemnitis habere viuentem gaudebitis habere defunctã, quã & habebitis. Quid plura? cotingit sacram virginem ex hac vita migrare, & sepeliri in Ecclesia Sanctæ Marię in Podio, vbi iacuit decem, & octo mensibus, statimq; cepit corruscare miraculis. Et quia decens erat, vt quã Deus glorificauerat in cœlis, mundus coleret in terris, necnõ & vt sua prophetia impleretur qua prophetauerat de sepultura sua infra octo dierum spaciũ ter apparuit summo pontifici domino sancto Alexandro Papę quarto, qui tũc cũ curia degebat Viterbij, dicens ei in visione. Quoniã complacuit Christo computare me infra numerum ancillarum suarum, tu cuius vices tenes in terris ne differas facere quę facere debes, sed cito pergens ad Ecclesiam Sanctę Marię

B in

in Podio corpus meum inde leuabis, & portabis ad Monasterium Sãctę Marię ordinis sanctæ Claręquia ibi debet esse locus meæ quietis, ℞cũ Papa primo, & secũdo neglexisset, tertio monitus intellexit diuinum esse miraculũ: surrexit protinus mane, & personaliter cũ quatuor Cardinalibus accessit ad preostẽsũ locũ, & inde afferes sacrum corpus ad Monasteriũ de quo fuerat monitus deportauit. Tantamque deuotionẽ concepit ad ipsam, quod nisi quia oportuit eum Romam accedere canonizasset eam sicut ipse proprio ore dixit monialibus ipsis. Post vero exhumationem dicti sacri corporis fuit assertum a multis quod in sepulchro eius fuerat inuentum mãna in modum olei.

Fuit autem virgo præfata tantæ puritatis & misericordiæ in pauperes Christi vt cum vna dierum panes pauperibus erogandos ex domo parentũ portaret vt solita erat & consueta, ad mandatum patris, interrogantis quid nam in sinu deferret absconsum, illa illico sinu aperto, et patefacto cum summa obedientia eius sinus Rosis diuersorum colorum plenus apparuit, intantum vt diuina in eã continuo super veniẽte clementiã aues ad eam dum comedebat accurrerent, & micas panis in eius sinu manducarent. Quæ virgo tanta omnipotentis Dei gratia suffulta in eius pueritiã cũ alijs puellis se cõferret ad fontẽ, dum amphora pro aqua exhaurienda vt moris est, vni illarum puellarũ amphorã quã portabat rumperetur, & in plurima frustra diuideretur, increpta ab eius parentibus prout puella præfata falso retulerat quòd beata Rosa huic casui more puellarũ pręstiterat occasionem, accesserũt ad locum vbi amphora rupta erat, & eius frustis & particulis simul reductis meruit virgo præfata vt omnipotens, deus eius potentiam demonstrauerit super eam vt tot frustra hinc inde conspersa, & diuisa ad primum locum eorum adduceretur ac si nunquam rupta fuisset. Et sic amphora puellę restituta est integra & sana absque aliquo nocumẽto, & defectu ex gratia omnipotentis Dei dictæ beatæ Rosæ meritis exigentibus. Propter quæ meruit, Etiam virgo præfata cum semel a quadam eius commatre esset sibi furto subtracta quædã gallina storina & per prædictam commatrem id negaretur summi Dei iustitia voluerit quòd in dextra parte vultus sui pennæ eiusdẽ coloris subtractę gallinę visibiliter apparerent quæ propter hanc nouitatẽ sibi cõtingentem & occursũ furtũ gallinæ cõfessa dictę virgini eius cõmatri, pennę illico ex eius facie miraculose disparuerunt; ꝑpter quæ signa & miracula ab omnibus tunc ẽstimabatur Virgo Rosa in sanctam mulierẽ ventura si viueret cũ tantã gratiã in eam summus deus infunderet.

Quoddam

Quodam namque tempore quidam Andreas nomine qui per multa tẽpora cæcus existens a virgine Rosa rogitabat suffragiũ vt pro se ad dominum intercederet; illa autem vt pia erat pectore compassa misero illi pias ad dominum pro eo præces fundit quibus fusis lumen sibi restituit quo carebat.

Quiddam indeuotus & furibundus vir, & preceps totus in verbo & facto suo virginem Rosam diuina eloquia proferentem percussit in brachio, ad quem virgo conuersa vaticinando dixit, hinc ad tres dies apparebit manifestum in corpore tuo per quod ab alijs hominibus discerneris. Vere sic accidit, nam adueniente die tertio omnes pili tam de capite, quam de facie necnon de toto corpore ceciderunt: ita quod non homo sed quoddam monstrum turpissimum videbatur.

Quidam clericus vltramontanus in Archiepiscopum fuit electus qui recepto decreto suæ electionis & accepta electione pro sui præsulatus confirmatione ad Romanam curiam properauit; cui proximus æmuli astiterunt contra eum de sua electione iurgantes & opponentes articulos & rationes suas libellos & exceptiones suas plurimas offerentes, qua ex re prorogata fuit causa ad plures annos ꝓpter, quã dilationem oportuit dictũ clericũ in curia Romana trahere, & nihilominus in sumptis consumere quicquid pecunię secum tulerat, qua propter factus est pauper & de Roma & Romana curia tamquam desperatus recessit. Veniens autem Viterbium hospitatus est ibi & cũ in strato suo de nocte quiesceret, cogitationibus plurimis fatigatus cepit paululum dormitare; in ipso autem somno reuelatum fuit sibi quòd si recommendaret causam Deo & virgini sacrę Rosę & votum emitteret de honore aliquo propter deum impendendo consequeretur suę electionis confirmationem: qui surgens a somno talique oraculo monitus illico mane facto ad ecclesiam sanctæ Rosæ perrexit, & corpus eiusdem sacræ virginis a monialibus cõmorantibus in monasterio dictæ ecclesiæ sibi supliciter poposcit ostendi; quo viso & humiliter venerato retulit monialibus ibidem existentibus totam seriem visionis pręfatę; immediate post narrationem visionis prædictę corã astantibus monialibus illis dictus electus emisit votum quod si de causa sua meritis beatæ Rosæ reportaret intentum Rosam auream ad monasteriũ ipsum perenniter destinaret: & emisso voto ad hospitium est reuersus. Mira res; statim post suum de Monasterio recessum nuntius de curia veniens sibi occurrit deferens literas quod deberet pro sua causa ad Vrbem reuerti: qui gratias deo referens et virgini sacræ Rosę sumpta refectione pariter

quo

quo venerat remeauit constitutus coram summo pontifice exposuit humiliter causam suã, & explicata statim fuit in Archiepiscopum cõfirmatus. Qui Viterbium veniens duas rosas secum detulit, vnam de puro auro, aliam de argento, quas ambas cum multa deuotione & gratiarũ actione virgini Rosæ obtulit, & se spondit auream Rosam perenniter mittere, quod & fecit dum vixit, cessante postmodũ vita quieuit tributum.

Quidam autem vir Theutonicus virginis Rosæ deuotus ob deuotionis causam corpus visitauit eius, quo visitato & debite venerato affatus est monialem illam cui commissa erat cura custodiendi sacrum corpus, dixitque ei, Si vna ex vnguibus digitorum manus huius virginis dederis mihi tantam tibi pecuniam dabo. Illa autem pecuniæ dono allecta vnam de vnguibus digitorum manus virginis violenter euulsit & Theotonico illi dedit, qui pecunia pacta exhibita vnguem cum deuotione magna suscepit & eam in mundissimo loco reconditam in Alamaniã transportauit. Monialis autem prædicta cernens quod sacrilegium quod commiserat bono modo tegi non poterat, pro eo quod ex digito exunguato patenter quædam difformitas resultaret, cepit cogitationibus varijs interius excruciari considerabat fore factum esse enorme & deforme facto in breui sibi dispẽdium innuere. Quid faciat nescit semper, per deuia currens & errans & errando vulnus doloris habebat. Videns autem omne humanũ subsidium sibi deficere recursum habuit ad patrocinium illius quã lęserat videlicet ad virginem Rosam ad cuius pedes se sponte prostrauit cum lachrymis recognoscendo humiliter culpam suam, promittendo nihilominus quod nunquam imposterum talia vel similia faceret ac tentaret. Et surgens ab imploratione suffragij respexit amaro animo & facie verecunda manum quam sua auaritia deturparat. Et vidit vnguem in proprio digito renouatam, alijs quidem vnguibus tendentibus ad nigredinem, illa sola albedine retinente. Ad quod miraculum monialis illa stupefacta pariter & conterrita deposita verecundia abbatissę & monialibus alijs rem gestam prout se habuerat fideliter reuelauit. Hæc ego qui istud miraculum descripsi occulta fide recolo me vidisse.

Quodam namq; tempore cum quidam Theutonicus in partibus suis valde famosus & diues apud Venetias se ageret casu accidente duorum luminum amisit visum: cumqq; magnam substantiam consumpsisset in medicis nec adipisci valeret quod anxie quærebat scilicet vt liberaretur a cecitate. vnde reddebatur valde tristis subito venit ei in mentem qualiter beata Rosa quæ ab Alamanis colitur &

habetur

habetur in reuerentia magna, pro eo quod a referentibus dicitur q̃ in partibus illis operatur multa miracula: cui virgini cũ se tota quã poterat deuotione recomendaret promittens ei quod faceret in terra sua capellam ad honorem ipsius virginis Rosæ si eum a cæcitate liberaret, statim his per actis qui cæcus erat lumen recepit, & in laudem omnipotentis Dei & beatæ virginis Rosæ se prorupit.

Alio quippe tempore nobilis quidã de Narnia Iuuenalis Antonij dum in turri dictæ ciuitatis & incarceratus detineretur, & cum eo duo alij scilicet Reueratius & Peregrinus; ipse Iuuenalis qui pluribus annis fuerat officialis Viterbij, & nouerat virtutem sanctæ virginis Rosæ, se ei cum multa fiducia recommendauit in ipsa custodia. Cui apparens ei famula dei ipsum Iuuenalem absoluit, & vt patẽtius etiam claresceret miraculum, claustris non apertis solutum toto illico constituit.

Adiuro insuper vos qui perlegitis deuota virginis Rosæ ne relinquantur quæ referenda putaui, maxime nobilem quandam dominam de Viterbio morbis ita quassatam quòd ab omni fere sensuali virtute relictã physicis testibus signa dabat mortis potius quam salutis sperandę. Nam debilis erar ei pulsus ac anhelitus, oculorumque pupilla occultabatur & per corpus labebatur sudor paruus & frigidus. demumque ipsa in nouissimis euolutans corde valitudinis pręsidia exoranda præcipue auxilium meritorum beatissimæ Rosæ virginis deuotissime implorauit. exauditaq; in prece sua Dei gratia sacrę Rosæ meritis quasi euulsæ sensuales rediere virtutes & post de languore mortifero.

Imprimis quòd sunt anni decem & octo vel circa, cũ quędam mulier nomine Catherina de Castro Vasci moram trahẽs in vrbe apud sanctum Angelum haberet filium quendam nomine Iacobum qui mortuus iacuerat per aliquod spatium, quę Catherina mater cũ etiã haberet maximam deuotionem ad dictam gloriosam virginem Rosam summa cum lachrymarum abundantia, & reuerentia, vouit dictæ beatæ Rosę vt dignaretur preces effundere ad omnipotentẽ deũ vt eius precibus & meritis eius filium de morte suscitaret ad vitam, vouens ac promittens eius ecclesiam & corpus venerabile cum dicto filio suo sic mortuo visitare cum quodam cereo, qui quidem Iacobus puer mortuus illico facto voto de morte ac vitã suscitatus est. Quæ Catherina cum negligens esset exequi dictum votum apparuit ei noctu dum vigilaret prælibata gloriosa Rosa dicens. Comple diligẽter votum tuum, vade Viterbium ad domum meã. Quæ Catherina hac visione perterita & stupefacta respõdit, & dixit. Quis es tu?

quæ

quæ ſic itterroganti reſpondés ait. Ego ſum beata Roſa virgo quam Epiſcopus Romanus recepit, & illico his dictis ab eius oculis euanuit. Quæ domina Catherina ſequenti mane cum dicto Iacobo eius filio verſus Viterbium iter arripiens eius votum prout promiſerat cum magna deuotione adimpleuit præſentibus, Nardo mazatoſte & monialibus, &c.

Mortuus quidam reſuſcitatur.


Nno domini.M.cccc.xix.Menicus Marcuualdi de Viterbio mortuus in terra iacens in terra iuxta patriæ cõſuetudinem,quam pluribus ibidem ſtantibus ante funus mortui Menici,Couella vxor ante corpus beatæ Roſæ cõſtituta humiliter orauit vt ſuſcitaretur Menicus eius vir ſuis præcibus & meritis de morte ad vitam, promittens pingi facere dictum miraculum in caſſa vbi tunc ipſa glorioſa iacebat. Quo voto facto rediens domũ mulier maritum viuum reperit & de morte ad vitam ſuſcitatum,qui ſuperuixit per annos plures; quod miraculum depictum apparet in dicta caſſa prout Petrus Angelus Nicolai de Viterbio pluries recẽſeri audiuit a Matheutia matre eius & filia dicti Menici ſic reſucitati & Ioãne magiſtri Anſelmi teſtibus, &c.

INCIPIT MISSA BEATAE ROSAE virginis ordinis ſanctæ Claræ.

Introitus.


ILEXISTI iuſtitiam,& odiſti iniquitatem. Propterea vnxit te Deus tuꝰ oleo lętitię prę cõſortibus tuis. *Pſalmus.* Eructauit cor meum verbum bonum. Dico ego opera mea regi. *Verſ.* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, Sicut erat &c.

Oratio.

DEVS qui beatã Roſam ſanctarũ tuarum virginum choro aggregare dignatus es,tribue nobis quæſumus vt eius meritis,& præcibus a culpis omnibus expiemur, & tuæ Maieſtatis conſortio perfrui mereamur æterno. Per Dominum noſtrum.

Lectio libri Sapientiæ.

DOmine Dus meus exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluenti deprecata ſum. Inuocaui dominum patrẽ domini mei;vt non derelinquat me in die tribulationis meę, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aſsidue;& collaudabo illud in confeſsione;& exaudita eſt orõ mea. Liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo. Propter ea confitebor tibi,& laudem dicam nomini tuo, Domine Deus noſter. Deo gratias. *Graduale.*

Hæc eſt virgo ſapiens,& vna de numero prudentum. Alleluya. *Verſ.* Alleluya. Adducentur regi virgines poſt eam proximę eius offerentur tibi. Secundum Mattheum.

IN illo tempore. Dixit Ieſus diſcipulis ſuis,parabolã hanc. Simile eſt regnũ cœlorũ decẽ virginibus, quæ accipiẽtes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo,& ſponſæ.Quinque autẽ ex eis erãt fatuę, & quinque prudentes. Sed quinque fatuę acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum. Prudẽtes vero acceperunt oleũ in vaſis ſuis cũ lampadibus.Morã autẽ faciente ſponſo dormitauerunt oẽs & dormierunt. Media autem nocte clamor factus eſt. Ecce ſponſus venit: exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illę,& ornauerunt lampades ſuas. Fatuę autem [illegible] dixerunt: Date nobis de oleo veſtro,quia lampades noſtrę extinguuntur. Reſponderunt prudentes dicentes. Ne forte non ſufficiat nobis & vobis; ite potius ad vendente et emite vobis. Dum autem irent emere venit ſponſus,& quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.Nouiſsime vero venerunt & reliquę virgines dicentes. Domine domine aperi nobis. Ad ille reſpondens ait. Amen dico vobis,neſcio vos. Vigilate itaq; quia neſcitis diẽ, neque horã.

Offertorium.

Filiæ regum in honore tuo Aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu de aurato circundata varietate. *Secreta.*

Sacrificia domine Deus,quę in honore beatæ virginis tuę Roſæ hodierna die tuę offerimus maieſtati,ſint tibi meritis eius accepta, & ad noſtrarũ tranſeant animarum ſalutem. Per dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum filium tuum,&c. *Communio.*

Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Propterea benedixit te deus in æternum.

Poſt Communio.

OMnipotens ſempiterne Deus clementiã tuam ſuppliciter exoramus vt meritis beatæ Roſæ virginis tuę ſacramenta quæ ſumpſimus

ſumpſimus a nobis noxia cũcta repellant & nos tuis repletos donis dignos efficiant. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuũ.

Oratio Spiritus ſancti.

DEus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica animas,& cor noſtrum per infuſionem Spiritus ſancti, & meritis beatæ virginis Roſæ, vt te perfecte, diligere, & digne laudare mereamur. Per Chriſtum dominum noſtrum.

F I N I S.





